

Qvadripartitae Conciones Stanislai Grodicii Societatis Iesv

Qvarum Primae, Timorem Sanctvm Incvtiunt; secundae Fidem Catholicam confirmant; tertiae Spem erigunt; postremae diuinam in nobis Charitatem excitant ...

Continet sex Dominicas Quadragesimae, & coenam cum paßione Domini

Grodzicki, Stanisław

Ingolstadii, 1609

Concio III. Spes.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56003](#)



CONCIO III.

S P E S.

EVANG.
DOCTRIN.
NAE.

MIRVM forte videri posset alicui, quif
fiat quod Ecclesia mater nostra cum
alias sapè, cum vero hac hebdomada sapissimè,
Iudeorum quidem reprobationem,
gentilium vero vocationem ob oculos no-
stros ponat. Ecce enim quarta iam decurrit
Inculcatus
reprobatio
Iudeorum
& Vocatio
gentium.
dies, cum in Euangelij, quæ in sacrificio
Missæ leguntur, id ipsum perpetuo inculcat.
Et quidē quinta feria, paulo obscurius, sexta
vero multo id agit clarius. Ibi enim teste Di-
nuo Gregorio, sub typo diuitis epulonis, Iu-
daicus, sub figura Lazari pauperis genti-
lium populus designatur: hic vero de vinea
olim locata Iudeis ad Ethnicos transferen-
da, satis apertis ipse Christus differit verbis.
Nec minus clare hesterna die parabola fra-
tris senioris, ob epulū quod pater fratri iu-
niiori parauerat murmurantis, id ipsum de-
notatur, addita insuper ad idem signifi-
candum aptissima lectione de Benedictio-
ne Isaaci translata ab Esau ad Jacob fratrem
et idem iuniorem. His succedit Euange-
lium hodiernū quod non rem ipsam solum,

Greg. hom.
40. in E.
uangel.

sed

sed & causam & pœnam Iudeis irrogatam
clarè nobis describere videtur. Quorsum
igitur ista vnius rei toties iterata repetitio?
Multis sanè magnisque de causis, quarum
illa haud postrema, vt moneat doceatque,
quamdiu in hac peregrinatione sumus IN-
TER SP EM ET MET VM nos perpetuo
versari. Id igitur meditemur dilectissimi;
quam ad rem multum proderit contextus
Euangelij hodierni, sedula consideratio;
quod vt eo diligentius faciat, iter nobis in
hac concione pandemus, ea tamen lege &
conditione, vt quæ in alijs concessionibus tra-
ctata, & explicata à nobis fuere, hic leuiter,
aut ne leuiter quidem attingantur: cetera
vero ita explanentur, vt & sensus literalis o-
mnibus patet, & doctrinæ tam spei quam
timori seruientes, pro virili nostra parte eli-
ciantur. Tu Christe Iesu conatus adiuua
nostros, vt non in reproborum, sed in ele-
ctorum numero censeamur in æternum.

*Quomodo
hic notetur
reprobatio
Iudeorum
Et gentilium
vocatio.*

Antequam ad Euangelium accedamus,
notandum est reprobationem quidem Iu-
deorum satis clarè, vocationem vero genti-
liū paulo obscurius hic denotari. Reiectio-
nem enim Iudeorum probant, tum facta i-
psa scellestissimorum Phariseorum hic ex-
pressa: tum dicta Saluatoris: & in parabola
de dæmone SEPT E M, id est plures socios
assumente, & illa comprimis verba FIENT
NOVIS-

NOVISSIMA HOMINIS ILLIUS PEIORA PRI-
ORIBVS, quæ explicans & simul applicans a-
pud Matthæum Christus inquit, sic erit *¶ Mat.12.45*
generationi huic pessimæ, per generationem
Iudæos quibus cum loquebatur intelligens.
At vero gentium vocatio, non nisi allegori-
cè habetur, tum in scemina ista, quæ in lau-
des excurrit Iesu & Mariæ, ac typum gessit
Ecclesiæ, quam magna ex parte ex gentibus
collecta esse scimus: tum in illo dicto Chri-
sti, BEATI QVI AUDIVNT VERBUM DEI.
Id enim gentes fecisse testatur illa Pauli ad
Iudæos verba, *Vobis oportebat primum loqui Ad.13.43*
verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & in-
dignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuer-
tum ad gentes. Et subditur. Audientes autem
gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum
Domini. Glorificabant autem non solum
credendo, sed etiam verbum Dei custodien-
do. His præmissis ipsum iam Euangelium
aggrediamur.

ET ERAT IESVS EIICIENS DÆMONIVM, *Quæstio*
ET ILLUD ERAT MVTVM. De posteriori *cur hoc tem-*
membro egimus in i. Concione: de primo *pore nō sine*
illa quæstio in primis animū nostrum pulsat, *tot energue*
cur hoc tempore tanta, quāta olim energu-
menorū non reperiatur copia, præfertim in
istis partibus quæ hæresibus refertæ sunt?
Causæ huius rei ad tria cōmode reduci pos-
sunt capita, ad diuinā prouidentiam, ad dia-
boli

*¶. Ratio
Prouiden-
tia diuina.
Mar. 16. 12
Hom. 29. in
Euang.*

boli astutiam, & ad nostrā ingratitudinem. Providentiam diuinā pulchre nobis expressit D. Gregorius cum scribens in illa verba Christi, *In nomine meo dæmonia ejiciēt, &c.* inquit. [Hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerūt, vt enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda] quorum miraculorū primum à Christo, possum est electio dæmonum, quæ quia nunc ad fidem confirmandā non est adeo necessaria, ideo & dæmoniacorū copia diminuta est. Diminuta est inquam. Nam non deesse illos omnino, & experientia docet, vt in 1. cōcionē retulimus, & qui res Indicas, laponicasq; cōscribunt, testantur. Hæc vero omnia diuinæ prouidentiæ occultæ sunt significations.

*¶. Ex astu-
tia dæmo-
niis.*

Sed & dæmonis astutia mira h̄ic apparet. Facit enim id ad confirmandum illum errorem hæreticorum (à quibus nō pauci etiam Catholici infecti sunt) qui ne fateri cogātur in Ecclesia Romana esse potestatē ejiciendi dæmonia, negant obstinatissimè energumenos in mūdo amplius reperiri. Et certe inter eos vix sunt aliqui. Ego qui cum illis pone à pueritia vixi, vnam tantam fœminā occupatam à dæmone, ante quinquaginta ferè annos vidi, neininē præterea. Neq; vero id mirum videri debet. Sicut n. canis cum carnib⁹ abundat ossa negligit, ita cerberus ille infernalis, cū animas possidet, parū de occupan- dis

¶ simili.

Dis corporib^z laborat, præsertim cū non ignoret, nisi resipiscant hæretici, tam corpora, quā animas ipsorū, se cruciaturu in æternū.

Deniq; nostra ingratitudo meretur, vt rari nūc tales reperiantur. Quid inquis, beneficij id loco ducis? Certe nisi id in beneficijs cēseretur, nunquam Apostolus Paulus illud in- cestuoso cōtulisset. Putasne pectus illud diuina flagrans charitate voluisse hominem illum incommodo afficere? Nihil equidem minus. Porro hinc commoda inter alia hæc existunt. Primum fidei confirmatio teste experientia, & ipso Christo, cum inquit. Si gna autem eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejcent. Secundum eorum qui affliguntur vitæ morumque emendatio, vnde sunt illa Apostoli verba. Iudicavi tradere huiusmodi Sathanæ in interitum carnis. Carnis facit mentionem, vt scias illum in corpore afflictum fuisse, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi, quod & factum esse per pœnitentiam, in sequenti Epistola indicat. Tertium aliorum cau- tela. Cum enim hæc corporum à dæmo- nibus occupatio propter peccata vt plurimum diuinitus permittatur, vt ex Pau- lo cognouimus, efficitur, vt multi con- spicientes, quanta crudelitate habitator ille durus, in corpus miseri illius sequiat, ipsi quo- que ne idem eis eueniat, à peccando retrahantur.

*3. Ob ingratis
titudinem
nostram.*

1. Cor. 5. 5.

*Tristitia
commoda.
1. Fides cora
firmatio.
Mat. 16. 17.*

*2. Iporum
emendatio.
1. Cor. 5. 5.*

*3. Aliorum
cautela.*

huntur. Vides quantis bonis priuetur Ecclesia, ob infidelitatem hæreticorū, & quorundam ab ijs infectorum? Scio nonnullos per imposturā energumenos sese fingere: at illi vigilantia magistratus, primum quidem Ecclesiastici, postea vero secularis comprimenti sunt. Ego certè si energumenos nostra aetate reperiri negarem, essem similis hæreticis mendax: tam enim evidētia huius rei signa vidi, vt vix evidentiora esse queant. Verum molesta quæstione expedita, ad latiora veniamus.

*Christus ejus
cit dæmonia
etiam nunc.*

*Vt regnus mo-
do.*

*Ex anima
eicitur
quoties.*

Et vero verbum illud ERAT magnæ est consolationis. Est enim ut Grammatici loquuntur temporis præteriti imperfecti, ut scias Iesum necdū cessasse eijcere dæmonia, neq; cessaturum, vsq; ad consummationem saeculi. Facit enim id, ut olim per se, per Apostolos, ac discipulos suos, ita nunc per successores illorū: & facit omnibus quibus antea modis. Nā in corpore obfessos à Sathanā liberat per exorcistas: in anima vero occupatos absoluit per confessarios. Operatur autē illud quidem rarius, hoc vero frequenter & utilius. Quod si nihil istorum credūt cœcorum. Vos autem credite prout facitis, & solamen inde percipite. Ut vero consolatio vestra sit solida, recordamini differentiæ quæ est inter duas istas electiones. E corpore enim

Mat. 15.14.

enim ejicitur Sathan nobis ad id nihil opis
conferentibus. Nam etiam si maximè cupi-
as, & coneris, non liberaberis, donec te Deus
liberum esse velit: fecus sit dum in anima à
dæmone obsidemur. Hæc n. electio & sine
nobis non sit, & sit quotiescumque volumus,
vt non solum ego in prima concione, & a-
lias disserui; sed etiam ipse Deus testatur in-
quiens. *Impietas impij non nocebit ei, in qua-
cunque die conuersus fuerit ab impietate sua.*<sup>Ez ech. 33.
12.</sup>

Præmiscerat autem. *Quare moriemini domus
Israel?* Id ipsum multo etiam æquius ego
clamo, ô popule Christiane, quare morie-
mini? quare è manibus dæmonis liberari nō
vultis? Ecce Sacerdotes sedent in subsellijs
expectantes, vt veniatis confessum peccata
vestra, potestate habentes eruendi vos è
faucibus diaboli, quid moras trahitis? quid
procrastinatis? Non tardat obsessus in
corpore longum subire iter, vt à tam mole-
sto liberetur hospite: vos vt à multo crude-
liori seruitute eius liberemini, ne decē qui-
dem passus procedere vultis? Quid hoc est
rei? Itane nec timore ducimini, ne absor-
beamini ab eo in æternum, quod multis vo-
bis similibus euensis nostis? nec spe erigi-
mini erga tam benignum Salvatorem, qui
E R A T, & criticiens dæmonium?
Pœnitentiam igitur agite, procumbite ad
genua confessarij, iam iam, hac hora, noli-

Exhortatio

Et belis.

NOTA.

I. A facili.

2. Ab exem-

plo minori

metu.

te differre, vt post dolorem de peccatis, post integrum confessionem, post prolata à sacerdote verba illa, Ego te absoluo, eueniat vobis in anima, quod in corpus hic factum auditis. Dicitur enim,

*¶. Afrubbi
bus extimis
in te ipso.*

ET CVM EIECISSET DÆMONIVM LOCUS EST MVTVS. Imo & audiuit surdus, & vidit cæcus, quot & quanta beneficia stimul à Christo facta? Cæcus intellectus illuminatur, mens surda audit, lingua ad laudandum Deum laxatur, & quod caput est, ex mancípio diaboli, efficitur filius Dei. Quis ingenuus ad spem non erigatur, & per spem ad charitatem non impellatur? Facite obsecro, & singula ista beneficiorū capita pōderate diligenter, inuenietis enim in illis copiosum thesaurū. Videbitis inquit quid bonū, quid malum sit, audietis libēter diuina, quæ olim summo vobis fastidio erant, loquemini pro obscenis, impijs, blasphemis; pura, sancta, vobisq; proficia, ita, vt nō solū peccata mortalia, sed etiam venialia libenter confiteamini. Neque vero ad vos solos isti pertinebunt fructus, sed ad alios quoq; sua redundabunt emolumenta. Sequitur enim in Euangelio.

*s. Ab iſſe
m aliis.*

ET ADMIRATÆ SVNT TVRBÆ. Mirabuntur etenim mutationem dexteræ excelsi in vobis, & ipsæ quoq; turbæ, & exemplo provocabuntur ad imitandum, & ad laudandum Deum, ora soluent sua. Horum vero bonorum

rum

rum cum vos illis vestra in melius vitæ commutatione, causa præcipua fueritis, quātum putatis spei vobis inde accrescer? Multum e- quidem per omnem modum. Neque vero moueat vos quicquam quod sequitur.

QVIDAM AVTEM EX EIS Iherosai videli-
cet, vt Matthæus, & scribæ, qui Hierosolymis
descenderant, vt Marcus testatur.

*Mat. 9. 34.
Mar. 3. 22.*

DIXERUNT. Adducti odio, & inuidia,
nimis ad blasphemandum proni. Dixe-
runt autem.

IN BEELZEBVB PRINCIPE DÆMONIORVM *Cautio ne*
EIICIT DÆMONIA. Hæcisti Christo, vobis à bono cef-
vero quid socij & amici vestri? Aliquid simi- *semus.*
le. Ecce inquiet rericus, qui olim festiuus;
ecce melæcholicus, ecce hypocrita, ab hypo-
critis seductus. Ita, inquā, & his similia, non
te affligat rogo, vt propterea vel vitâ sancte
inchoatâ deferere, vel ipsorū te cōsortio ite-
rum adiungere velis. Quin potius, aut si tan- *Sed carbon*
nes congre-
ramus.
ti es, fortiter resistas, vt fecit Christ°, aut si id
nequis, in corde tuo Christū pro illis tacite
depreceris, vt & Deum qui mirabilia sua in
te operatus est blasphemare, & seruos ipsius
conuictijs proscindere, & te à recto tramite
abstrahere desinat. Id enim si feceris, & car-
bones sanctos congeres super caput eorum, con-
fidens illos, tādem ad saniorem mentem re-
dituros, & ipse pulcherrimæ spei, maiora in
dies singulos incremēta in te ipso percipies.

b. 4

Ma-

Ro. 13. 26.

*Cum opti-
mo spei
fructu.*

Magnum enim bone speci est augmentum, & incrementum est, iniurias patienter propter Christum tolerare, & pro persecutoribus orare. Cæterum quod ad literam attinet. BEELZEBVB erat Idolum Accaronitarum sicut Dagon Azotiorum, Chamos Moabitarum, Moloch Ammonitarum, quæ celebat Salomon. Significat autem BEELZEBVB Deum vel Dominum muscarum: Quo nomine non arbitror dæmonem per contemptum sic appellatum, nam & honoris causa sic nominatur ab Ochozia rege Idolatriæ dedito, & quod hic BEELZEBVB princeps dæmoniorum nuncupatur: Crediderim ergo potius hoc nomen ei inditum, vel propter multitudinem muscarum, quæ in templo eius visebantur: vel alia nobis ignota de causa. BEEL autem siue BAAL (prodigueritate punctorum, quibus Hebrai loco vocalium vtuntur) in Scriptura sacra Idolum est famosissimum, propterea in hoc loco per BEELZEBVB (quo nomine BAAL apud Accaronitas vocabatur) ipsum Luciferum intellexisse videntur Pharisi, cuius potestate Christum eiecere dæmonia calumniabantur. Quam ille calumniam quomodo septem validissimis confutauerit rationibus, in præcedenti concione differimus: proinde ijs omissis, ea, quæ tum ad reliquam textus explicationem, tum ad mores

corrī-

*Is ipse L.
ciser.*

corrigendos pertinent iam adnotemus. Et quidem quod subditur.

ET AL II TENTANTES, miram de *Defacto*
hoc eodem Christi facto, iudiciorum ob o- *Christi*
culos ponit nobis tum varietatem, tum per- *quintuplicem*
uersitatem. Quinque omnino eorum no- *iudicium.*
tantur genera. Nam ad quattuor quæ noster
Lucas habet, Marcus vnum addit. Duo ex
iis iam vidimus. Primum quidem bonum *1. Bonum*
turbae admirantis, Messiamque agnoscentis, *turbae.*
ac dicentis, *nunquid hic est filius David?* Secun- *Mat. 12. 23.*
dum vero pessimum scribarum, & phari- *2. Pessimum*
sæorum blasphematiæ Christum: tertium
nihilo prædictis melius. Iste enim

SIGNVM DE COELO QVÆREBANT *3. Malum*
AB EO. ad instar aut Iosue, ad cuius impe- *Signum è*
rium stetit sol & luna: aut Eliæ ignem è cœ- *caelo poten-*
lo euocantis, ad comburendum, tum boues *tium.*
ad sacrificandum præparatos, tum milites *Iosua 10. 12.*
ad capiendum eum missos. Dicuntur autem *3. Reg. 18.*
tentare illum quia periculum faciebant o-
mnipotentia ipsius. Stulte! An enim ea quæ
siebant omnipotentia ipsius evidentia non
erant documenta? Fuerunt sane. Quartum
genus sic Marcus describit. *Et cum audissent*
sui exierunt tenere eum, dicebant enim quoniam, *Mar. 3. 21.*
in furorem versus est. Non quidem Apostoli
neque Beatissima mater id faciebat. Absit
ut id credamus, sed illi de quibus Ioannes
ait: *neque enim fratres eius credebant in eum,* *Io. 7. 5.*

fratres vocans cognatos Iesu, more sacra scripturæ, & nostri Idiomatis. Idcirco Euangelium Syriacum patrueles pro fratribus ponit. Quid vero verbis istis sibi voluerint, fratres eius, non satis liquet. Probabilius est illos non sensisse quidem Christum insanire: sed simulatione ista voluisse cum ex manibus Iudeorum eripere, qui illum capere, & morti tradere cupiebant. Postremum genus optimum est, laudantium Christum è quorum numero fuit mulier in fine Euangeli, sed & hunc à dæmonе liberatum idem fecisse fas est credere.

NOTA.

*Doctrinas
inde.**1. Consola-
tionem.**2. Fugā in-
anis gratia*

Nos vero quæ inde documenta hauriemus? Primum ne miremur, aut turberemur, si quid simile nobis eueniat. Quid volumus nos esse Christo feliciores, cuius facta varii varie interpretantur? quid dicta? Deinde adhibendum est remedium, quod Christus eximie fecit. Nam primam de se opinionem tacendo approbat: postremam vero loquendo: sed vide quam caute. Beatum asseruit ipsum mulier, & propter eum etiam ventrem qui eum portauit. Quid Christus? Ut inanem gloriam fugere nos doceret, alio transfert beatitudinem. Quam moderate! quam sapienter! Porro si id fecit, qui popularis auræ vanitate tentari non poterat,

quid.

quid nos agere oportet , quos istud infestatur malum ? Humilia igitur te in omnibus , præsertim cum se tibi commoda offert occasio : & aliquando sinistram etiam arrige aurem , vt intelligas quid dicant de te tuisq; rebus alii . Quid vero Christus ad triplex illud peruerse iudicantium genus ? Primos potentissimis confutat rationib; ne noceant plurimis , imo addit & cōminationes , & prophetias sane terribiles .

Secundos illis excipit verbis . Generatio mala Mat. 12. 39

¶ adultera signum querit & non dabitur ei .

Vides quomodo mitissimus Iesus nouit e- 4. Increpa-
tiam acriter increpare ? ne igitur succen-
tiones suscep-
reas . si quid eiusmodi à servis ipsius , si-

ue in concione , sive alio modo tibi ob-
uenerit , caueque vehementer , ne Iudeis
istis obstinatione efficiaris persimilis . Quid
vero agit cum cognatis ? Istos velut inepti-
entes præterit . Quid enim hac consequen-
tia ineptius ? Dæmones eiicit , ergo in furorem Mar. 3. 21.
versus est .

Denique his omnibus edocemur , vt 5. Miracu-
Christum quantum valemus imitari stu-
deamus . Quomodo ? Dixi iam , cum aut lau-
damur , aut graui calumnia afficiamur ,
quomodo nos gerere debeamus : Textus
vero iste quem tractamus , monet nos di-
ligentissime , cauendū esse ne simus Iudeis
illis similes , expertentes , & exspectantes , ne-
ficio

3. Refuten-
tsiam cum
est opus .

Mat. 12. 39

lum non ex
spectare .

scio quæ miracula, siue ut cessemus à vitiis,
siue ut insistamus vestigiis Christi, quando
ad id diuinitus impellimur. O quam id fre-
quens est in nobis vitium. O quantis con-
iunctum excusationibus & periculis. Cae-
caue inquam, ne quicunque es eiusmodi

Mat. 12, 5.

audias verba hæc, generatio mala & adulte-
ra. Quænam obsecro signa queris? Nonne
satis signi est quod vides: nempe alios quidē
Christo per pœnitentiam adiunctos, à dæ-
mone fuisse liberatos, alios vero rem de die

in diem ducentes, morte tandem nec opina-
ta oppressos, dæmonum prædam in æter-
num factos esse?

Quare regia sodes, inter
spem & metum progredere via, & istorum
quidem consortium fuge, ne idem quod il-

lis tibi eueniat, ad illorum vero imitationem
te statim, statim inquam nihil differendo
compone. Ad extremum, extremos sustine,

sicut eos tolerauit Christus, ac pro illis ora,
sicut fecisse Iesum credibile est. Quapropter
hos fratres seu cognatos Iesu conuersos, &

discipulis ipsius ad numeratos fuisse proba-
bile est: ita & tu fratrem tuum patientia, & o-
ratione lucaberis, citius etiam quam illos,

de quibus antea locuti sumus. Verum ad ul-
teriora procedamus.

IPSE AVTEM VT VIDIT COGITA-
TIONES EORVM, inquit Lucas, docens,

Christum cognouisse cogitationes omniū,
tam

CHRI-
STVS
EVVS.

6. inter spem
& metum
procedere.

7. pro in-
spicerare.

tam in corde blasphemantium, quam ipsum
tentantium. Ideo.

DIXIT EIS, si forte hac ratione diui-
nitatem eius agnoscere vellent. Quid vero
dixit?

OMNE REGNUM IN SEIPSVM D I-
VISVM DESOLABITVR, sensum horum
verborum & aliorum quæ sequuntur ape-
ruimus in præcedenti concione: sed & de
vastitate regnum. quæ diuisionem hanc
consequitur, alias tractauimus. Nunc dica-
mus pauca de regno illo, de quo saluator in-
quit, Ecce enim regnum Dei intra vos est. Quid
hoc regni est? Consistit illud, tum in fide re-
cta, quæ basis est regni istius, tum in chari-
tate, per quam Christus, in cordibus piorū,
& inhabitat, & regnat. O regnum preclarum.
O utinam sit in nobis omnibus, & non sit
quod hic dicit Christus DESOLABITVR.
Quid inquis, potest ne regnum Christi de-
solari? Potest hoc solum, non enim memini
alicuius regni Christi, quod desolationem
pati possit præter hoc. Quod si queris quo
modo desolatur, scias modum alium non
esse desolationis, quam eum quem hic po-
nit Christus, nempe quando IN SEIPSVM
DIVISVM est, Itaque cum animaduertis,
regnum in te esse diuisum, desolatum iri
certo tibi persuadeas, velim. Verum quis in-
quis ab ista liber erit diuisione? Si enim vas
electio-

Transfisio.

Domini. 4.

Aduent.

Con. i.

De regno

quod intra

nos est.

NOTA.

Luc. 17. 21.

Quod solitè

desolatur.

Causa diuisi-

sionis.

Occupatio-

obsecracionis.

electio-

Rom. 1.23.

electionis clamabat: video autem aliam legem
in membris meis repugnantem legi mentis meæ:
quidni nos miseri idem sentiamus? Recte
& utiliter queris, propterea id nobis dili-
gentius explicandum. Fundamentum sit
illud, quod idem Apostolus paulo ante præ-
miserat dicens. Non ergo regnet peccatum in
Rom. 6.12. vestro mortali corpore, ut obediatis cōcupi-
tiis eius. Per peccatum tria hic intelligimus.
Primo somitem qui peccatum dicitur, quia &
ex peccato ortu habet, & ad peccandum nos
inducit, secundo ipsum vitium, quod contra-
himus dum illicitis motibus & desideriis cō-
fessum præbemus: tertio Sathanam, certi-
fissimum enim est, quoties peccatum morti-
ferum in nostro regnat corpore, toties ipsum
in nobis regnare diabolum. Absq; rege enim,
siue Deus si sit, siue diabolus, anima nostra
nō potest esse vñquam. Hoc tñ inter alia in-
ter hos duos reges interest, quod regnante
Deo in homine regnum stare dicitur: regnan-
te vero diabolo ad vastitatem redigitur. Sic
ut enim quando in regno terreno. Rex legiti-
time electus suo fungitur officio, stat omni-
no regnum eius, etiam si aliquæ sint inter
subditos dissensiones: at vero si Rex legitimus
ex regno exturbatur, ipsum quoque
regnum ruere vere & collabi dicitur, licet
in eo tyrannus succedat: ita penitus se res in
nobis habet. Si enim Christus Iesus pergra-
tiam

*Stat regnū
re Christo
& simili.*

Kiam suam in nobis regnat, stat regnum nostrum, etiamsi carnis & aliorum inimicorum mille in nobis sentiamus rebelliones: sicut illas sensit Apostolus: at vero si per infidelitatem, vel aliud lethale peccatum, anima & corpus inter se dissideant, regnum nostrum in solitudinem redigi & reuere necesse est. Quod si quæras quæ nam sit proxima huius sollicitudinis & vastitatis causa. Eam esse nostram voluntatem scias, obedientem prauis inclinationibus, siue ut Apostoli verbis utar concupiscentiis carnis.

*Ruine carni
sapropria
est voluntas
nostra.*

Examinet itaque unusquisque conscientiam suam & facile perspiciet an sit vel *1. Examen.* collapsum sit regnum illud, quod intra nos esse testatur Christus, si enim sceleribus obligatam mentem habes, concidit regnum tuum, regnante in te tyranno inferorum: si vero è contrario sedulam natus operam, *ut non regnet peccatum in tuo mortali corpore,* si admissa scelera confessio ne eluis, & voluntariis pœnis expias, & in futurum caues, ne à vitiorum illecebris pertrahi te ad consensum sinas, *SPES* est pulcherrima regnum tuum stare & florere regemque tuum esse Christum Iesum, quem conseruare studeas rogo. Et quomodo id faciam inquis, cum magnas *3. Spes.* *4. Regni cōfervatio* sentiatationes, & in me ipso dissensiones? *qua sit.* Vnū è multis vnicō à Davide cōprehēsum versi-

*Rom 6.12.
1. Penitentia
sua.*

Psal. 54.10.

versiculo accipe remedium, nempe ut clamares cum eodem, præcipita domine & diuide linguas eorum, quoniam vidi iniuriam & contradictionem in Cuiitate. Ne sint intestinæ discordiæ & lites in Cuiitate nostra, quamdiu in hac peregrinatione sumus, id quidem efficere non possumus. Quid ergo agemus? Duo nimirum, alterum ut summa cura & vigilancia attendamus, animoque præsto simus, quotiescumque lites illæ & dissensiones oriri in Cuiitate nostra incipiunt: alteram ut quamprimum quietum animæ nostræ statum contrariis senserimus motibus agitari, confessim ad Deum clamemus, præcipita Domine & diuide linguas inimicorum nientium, fuggerentium mihi mala, opprime prauas suggestions, & ne permittas ut eis consensum præbeam. Si enim id egerimus, & cum spe adiutorii diuini, insultibus Sathanæ fortiter resistemus, victoriam de inimicis nostris reportabimus, regnumque Christi in nobis conseruabimus. Fxit Iesus, sed ad alios flosculos ex disputatione Christi colligendos progrediamur. Itaque circa illa.

Omnis sūt qui non est mecum contra me est. Id ipsum quod iam perstrinximus obseruandum occurrit: nempe neminem ex nobis, qui hic congregati sumus, immo nullum in mundo hominem reperi, qui

qui aut non sit cum Christo, aut non sit cōtra Christum. In has enim duas classēs totus diuiditur orbis. Valet hæc consideratio, tum ad confirmandum quod modo diximus, de regno siue Christi siue Sathanæ in nobis: tum ad repellendam ineptam illam responsionem, quam multi afferunt, cum exemplis piorum ad vitæ amplectendam integritatem adducuntur. Aiunt enim illos quidem sanctos fuisse, se vero sanctos non esse. At qui non ego sed Christus dominus docet, te vel sanctum, vel maledictum esse oportere. Si enim facis cum Christo, sanctus, si vero agis contra Christum, maledictus es, erisque in æternum, si in tali decedes statu. Ego sane inficiari non possum reperi alios in Ecclesia insigniter sanctos, eos videlicet qui multa præstant, quæ vulgo opera supererogationis dicuntur, ad quæ non omnes obligari sat scio: sed & illud tu mihi concedas velim, multos admodum esse, qui ingentia sæpe scelera, hac contingūt larvā, dicentes se non esse sanctos, cum tam ad eam sanctitatem, ad quam Concionatores Diuinis cogunt præceptis omnino teneantur. Hæc vero non est alia quam esse cum Christo, vel quod idem est non esse contrarium Christo. Absit sane, atque utinam ab omnibus, qui hic in nomine eius sumus congregati, id absit quam lōgissime.

c

sed

Inepta ex-
cusatio re-
primitur.
NOTA.

sed vereor ne secus se res in plurimis habeat.

*Tria signa
corū qui nō
sunt cum
Christo.*
1. Qui non
seruant pra-
cepta Chri-
sti.
10.15.14.

Vis huius rei signa cognoscere , ex multis
accipe tria, nec alia , quam ex ore ipsius Iesu
profecta, quibus eos omnes qui cum illo
sunt,& faciunt designat , ut è contrario sen-
su intelligas, qui nam sint ei contrarii. Pri-
mum signum illis verbis apud Ioannem
continetur. *Vos amici mei estis*, inquit Ie-
sus,id est mecum estis, sicut amicus cum a-
mico esse consuevit, sed simpliciterne qui-
libet erit cum Christo? Minime : addit enim
conditionem dicens, *sifeceritis quæ ego præ-
cipio vobis.* Audisne? intelligisne? Clas-
sissima sunt. Alterum signum sic expre-
sit. *Si quis vult venire post me, id est, esse me-*

Luc. 9. 23.

*cum, abneget semetipsum & tollat crucem suam
quotidie, & sequatur me.* Tertium est in Eu-
angelio. Explicans enim Christus, quid sit

non esse cum eo, subdit.

*3. Qui non
collegunt
eum Iesu.*
ET QUI NON COLLIGIT MECVM DISPER-
GIT. Ad hæc tria signa intuens , discutiat
quilibet sinus conscientiæ suæ , ut videat an
sit cum Christo , an vero contra Christum.
Id vero postremum cognitu facillimum est.
Si enim es infidelis : si schismaticus : non es
cum Christo, sed contra Christum: similiter
si aut desperas: aut è contra præsumis nimiu-
de misericordia Dei. Item si es periurus, fur,
homicida, adulter, fornicator, ebriosus, non
es cum Christo. Denique contra Christum es,
si tur-

Si turpia & obscena loqueris, si famæ proximi detrahis. Quare? Quia hæc & similia vniuersa verat Christus: præcipit vero cōtraria, quæ tu facere contemnis. Quantus disserēdi campus, præsertim de eo quod postremo dixi loco, cū vix quisquā reperiatur, qui velit intelligere, quid sit DETRACTIO? Ita sane, ut etiam si aliquis summe huic vitio sit deditus, ^{Detractio} quid? interrogatus tamē an de alicuius fama, & e- ^{NOTA.} xistimatione detraxerit, neget pertinaciter. Quia inquis nō intelligo quid sit detraction. Audio te non intelligere quid nam sit de alterius existimatione detrahere: at vero cum quis de tua detrahit, etiam plus quo intelli- gis. Hinc illæ voces. Quomodo non irascer illi, qui mihi bonam apud alios opinionem eripuit? Ecce detractionis descriptio. Ea enim nihil aliud est, quam læsio, vel ablatio famæ & bonæ existimationis alterius. Id ve- ro quoties tu facis, neque tamen facere te reputas? Multa hic dicenda essent, præsertim in quo vera & solida fama, aut infamia con- sistat, sed tempus non patitur, sunt enim à nobis etiam alia signa examinanda. V- ^{Que Vera} num tamen ex dicto Christi tacere non ^{fama.} debeo. Videlicet veram solidamq; famam consistere in eo ut quis sit cum Christo, ve- ram autem infamiam, in eo cum quis est contra Christum, cum non satisfacit iis, quæ Christo in baptismo promisit. Quoties,

C 2

ergo

*Quanta
mala ex de-
trallione.*

ergo tu minus Christiane viuis, toties pecas, & infamia ac dedecore te ipsum afficias: quoties vero alter occultum tuum peccatum manifestat, toties de tua existimatione detrahit, & si falsum est quod narrat, non vnum sed duplex & triplex peccatum admittit, si ex odio menitur, contra fratrem suum, & quod difficillimum esse solet, ad resarcendam famam obligatur. O quam haec sunt scitu necessaria! O quam surda excipiuntur aure, licet sint adeo frequentia, ut in coniuisi & conuenticulis, tam virorum quam feminarum, vix alii sermones & colloquia insituantur, quam de vitiis proximorum, praesertim dominorum, sacerdotum, principum, prælatorum, parumque pensi habeatur, an occulta vel publica, an vera vel falsa, referantur dummodo tempus obtrectionibus huiusmodi pessime perdatur. Verum de his data occasione dicenda sunt plura aliquando: nunc reliqua prosequamur,

*Praxis se-
cundare re-
gula.*

Itaque secundum alterum illud signum non est cum Christo, qui non abnegat se metipsum, qui non fert crucem suam quotidie, qui non sequitur Christum. Eiusmodi sunt primum quidem heretici, cuiuscunq; sint generis, secundo pseudopolitici, tertio, qui libros prohibitos legunt, quarto qui usurarios aut simoniacos contractus approbant:

bant: hi enim omnes & abnegare se metipso
& iudicium sum iudicio Ecclesiae submit-
tere nolant. Hac spectant qui in aduersis,
adeo sunt impatientes, ut in voces despera-
tionis plenas, in murmurationes graues, in
maledicta, in ipsas deniq; prorumpant bla-
phemias. O execrandum genus hominum!
O lingua forcipib. emendandam, cū alia re-
spuat remedia. Deniq; ex postremo & huic lo-
co in primis cōgruo signo, idē haud difficul-
ter habetur. Imaginamini quæ so vna mecū
ingētes duos cumulos, in quos omnes quot-
quot sunt, vel fuerunt homines sua omnia
coniiciunt opera: quoru alter est Christi do-
mini à dextris, à sinistris vero alter ipsius Lu-
ciferi infernalis: Ille constat ex omnibus vir-
tutum generib. ac misericordiæ operib. hic
contra ex viuis, & sceleribus conflatus est v-
niuersis. Aspice iam vos metipso diligen-
ter, & videte in quem cumulum plures ve-
stre conueniant actiones, inde enim facile
intelligetis, an cum Christo colligatis, ideoq;
cum ipso, an vero contra illum sitis. Pruden-
tibus dictum sit satis.

Cæterum quid sibi vult illud ultimum
Christi verbum DISPERSIT? cum nos con-
trarium omaino oculis videamus, mani-
busque palpemus nostris? Intuemur inquā
eos qui sunt contra Christum, non solum
gentiles, Turcas, & alios infideles; sed & im-

*Praxis ter-
tiæ.
Asimili.*

*Differt
qui colligit*

pios Christianos frequenter omnium hominum quibuscum viuunt ditissimos, honoratissimos ac omni consolatione plenissimos esse, neq; vero sibi solum corradere, sed etiam posteris suis magnas opes, & ditiones relinquere plurimas. Quomodo ergo isti DISPERGERE dicuntur, qui maxime congregantur? Respondeo. Quamvis beneinde educatur Christum Dominum non loqui hic primario de augmento, & accumulatione rerum & bonorum temporalium, prout & in hac & in alia concione, nos quoque docuimus: attamen etiam in his dictum Christi, locum habere constat. Et quod mirandum est magis, non solum in illo temporis articulo quem expressit David dicens. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenierunt viri diuitiarum in imanibus suis*, sed etiam in hac vita, in plurimis impleri, quod hic veritas afferit, perspicuum est admodum, nec in uno tantum, sed in omnibus generibus bonorum quæ isti appetunt id ipsum constat. Tria enim sunt quæ hic & cupiunt, & procurant maxime, nempe honores, diuitias, & delicias. Singula paulisper

contemplemur. Procedant primi qui largitiones faciunt maximas, qui epulas instruunt quotidianas, qui tam seculares, quam Ecclesiasticas dignitates, accumulandi fine nunquam faciunt, qui denique laudes suas plenis

*2. Diuitias
quæ in
morte re-
linquunt.
Psal. 71. 6.*

*3. Etiam in
vita disper-
gunt om-
nia que
colligunt.
NOTA.
Honores.*

plenis enarrant buccis. Quo sine? ut magni-
fiant & honorentur ab hominibus. Sed cue-
nit ne illis quod desiderarunt? Euenit sane.
Laudantur enim, sed ab iis, à quibus vir bo-
nus & prudens vituperari potius quam lau-
dari elegerit: à scurris inquam, ab adulatori-
bus, parasitis, helluonib. & aliis generis eius-
dem. In quorum ore laus vituperium est. Et
quod stupendum magis est, ne ab his quidē
nisi coram laudantur, & honorantur, clam
enim & in angulis, quæ non assentatores i-
lli excogitant, ad eorum quos laudarunt vi-
tuperationem, apud alios omnes qui istorū
factum, & superbiam execrantur? Cur vero
ista fiunt vniuersa? Quia os domini locutū
est. *QVI NON COLLIGIT ME CVM ETIAM TERRE-*
NOS HONORES DISPERRGIT COS.

Quid dicam de iis, qui per varias & ex-
quisitas voluptates vitam ducentes, nihil
aliud optant & querunt, quam viuere diu-
tissime, quam corpore esse eleganti, & ve-
nusto, sano, compto, quam in cibo, potu, so-
mno, & aliis quæ ista sequuntur delectatio-
nes sectari exquisitissimas? quam ad rem
Deus meus quæ non colligunt esculēta, po-
culenta &c. Sed & hi nonne etiam isto suo
terreno frustrātur sinec? Omnino. Nam pri-
mum quidem vitam sibi breuiorem red-
dunt. Verissimum est enim, ipsa etiam ex-
perientia teste dictum illud è sacra scriptura

Vita ipsa mea

petitum, plures occidi gula quam gladio.
Compara obsecro obsecra istorum corpora
cum exesis eremitarum & religiosorum
corporibus, numera annos vitæ vtrorumq;
& videbis, quam longo delicatuli isti, ie-
niantibus vitæ superentur intervallo. Quam
vero pulchrum nitidumque sit corpus isto-
rum, metacente, facies ipsa tum ex ebrieta-
te pallida, tum aliunde à morbis corrofa,
haud in paucis loquitur, prodit, prebatque.
Quis vero est somnus gustusque istorum?
Ille quidem inquietus: hic vero naufragia ple-
nus: itaque si vel cum aratoribus, vel cum
iis qui manibus propriis vitam tolerant il-
los confeas, inuenies hos laboribus fessos,
in nuda humo suauius decumbere; quam i-
stos qui in plumis delicatissimis, ac stratis se-
riceis auro gemmisque distinctis: & rusticos
aliosque pauperes panem durum & vile ob-
sonium multo sapidius comedere, quam i-
stos perdices, phasianos, murenas, aliosque
cibos delicatissimos. Quare? Quia os domi-
ni locutum est. QVI NON COLLIGIT
ME CVM moderatas, & rationi legique
me& consentientes, ipsas quoque immoder-
atas, ab honestate abhorrentes DISPER-
GIT voluptates.

Opes in o-
muni statu. Maxime vero omnium, in iis qui per a-
varitiam diuitias pecuniasque colligunt,
id ipsum videre licet, in omni omnino statu
homini

*Nitorem.**Gustus.*

hominum, tam nobilium, quam ciuium,
quam etiam rusticorum. Pecunia enim
sive iniuste acquisita, sive cum fletu paupe-
rum retenta, ab ipsiis metu quidem collecto-
ribus saepè à posteris vero illorum si non in
prima, certè in tercia vel in quarta progenie
semper misere fœdeque dilapidatur, & D I-
SPERG I T V R. Nonne id oculis conspici-
mus nostris? Vbi enim aunc sunt quæ so-
tot nobilium familiæ olim florentissimæ? tot
ciuium, mercatorum, nummulariorum, pe-
cuniæ numerosissimæ; tot etiam rusticano-
rum ipsorum domus honestissimæ? Perie-
runt, & in fumum abierunt omnia, quæ cū-
que per oppressiones pauperum, rapinas,
dolos, usuras, mala seruitia, & his similes ar-
tes iniustas congregatae corrasaque fuerunt.
Quid ita? Quia os Domini locutum est.
QVI NON COLLIGIT M E V M, vt faci-
unt omnes prædicti, DISPERGIT. Oquā-
to satius, ac tibi tuisque vilius faceres, si di-
sperges propter Christum, vt cum illo col-
ligere posses suo tempore. Non enim men-
titur qui loquitur per Prophetam. *Differit Psal. III. 9.*
dedit pauperibus iustitia eius manet in sæculum
seculi. Et per filium ipsius. Feneratur Domi- *Pro. 19. 17.*
no, qui misereretur pauperis, & vicitudinem
suam reddet ei. Id igitur agas, & ne perdas o-
ninia, fortunas videlicet, sanitatem, corpus,
vitam, honorem, & quod caput est animam

c 5 tuam,

tuam, ab his quas enumeraui, & ijs similibus artibus, te contineas, ac prateritorum quidem te pœnitentia, nouam vero vitæ rationem inceas, atque ita largas dando eleemosynas, inter spem & metum sollicitè ad portum tendas salutis. Caeue autem ne retrocedas, ne tibi eueniat, quod terribiliter minitando Saluator subdit. dicens.

*Poena gra-
tissima.* CVM IMMUNDVS SPIRITVS. Et si enim hæc præcipue de reprobatione Iudeorum dicta fuere, ut & sancti Patres, & nos in exordio docuimus, dubitandum tamen non est, omnibus quoque peccatoribus, qui post remissa peccata ad vomitum reveruntur, hanc parabolam, & exemplum Christi Domini competere. Quia de re quia in prima concione multis egimus: nunc c坦um attingamus, quæ & ad explicandum quod reliquum est Euangelij spectant, & hodierno nostro instituto seruiunt. Itaque per immundum spiritum Sathanam hic à Christo Domino intelligi clarum est. Dicitur autem Sathan spiritus, quia carnem, & ossa non habet, & immundus, quia ad immunda, spurca, & Deo contraria homines impellit. Semperque quod sciám, quotiescumq; scriptura per spiritum Diabolum intelligit, aliquid ei dignū ipso apponit epithetum. Ut plurimum autem tam in veteri, quam

*Damon spi-
ritus im-
mundus.*

*Spes &
meritum.*

quam in nouo Testamento, vocat illum spiritum, aut mendacem, aut nequam, quia ad h̄c duo supra ^{Mendax,}
capita omnes ipsius fraudes & machinationes reducuntur. Primo modo ipse se appellat loquens Deo. *Erospi-*
ritus mendax, ipse vero Christus non solum mendacem, sed & patrem mendacij nominat illum. Secundo modo vocatus est, tum quando inuasit Saulem, tum etiam aliâs. Primo modo fidem, altero charitatem auferre nobis conatur, & præualet sapissime. H̄c ergo & agnoscat, & diligenter fugiat, qui inter spem viuam, & timorem sanctum progreedi vult, ut velle debent omnes. Etenim spiritus iste pessimus, cum teste Christo:

EXIERIT DE HOMINE, pulsus, vi- ^{Quomodo}
delicet, à Iudæis quidem illis modis, quos in expellatur.
prima concione recensuimus, à Christianis vero, tum vita in melius cōmutata, tum Sacramentis.

PERAMBVLAT PER LOCA IN A- ^{Loca ina.}
QVOSA. Quidā id simpliciter de locis deser- ^{quosagen-}
tis intelligunt. Estq; pro illis Raphael Ange- ^{tilsum ba-}
lus, qui Asmodeum dæmonium crudele reli- ^{ptizatoris}
gauit in deserto superioris Ægypti. In Euan- ^{corda.}
gelio tamen non dicitur ligatus dæmon, ^{Tob.3.8.}
imo solitus omnino. Nec immerito. Ibi enim ligatus fuit ne noceret Tobiae iuniori,
& uxori eius orantibus, & iccur piscis su- ^{Tob.8.3.}
per

per carbones comburentibus, h̄ic vero plānē fit contrarium. Dicitur enim perambulare.

*Littera re-
quies da-
monis.*

*Et feruorū
eius.*

*Scopium
Christi.
NOTA.*

QVÆRENS REQUIEM, ET NON INVENTIENS, propterea aliud quidpiā nos h̄ic intelligere oportet. Quæ enim Sathanæ requies esse potest in locis desertis, vt vllam ibi quærat? Imo poena fuit Asmodæo. Requies autem illius est nocere homini. Ide enim cum patrat, odio & inuidia sua satisfaciens, quiescere quodam modo dicitur. O quies execranda, vtinam porro in cordibus Christianorum locum nō habeat vñquam, sed proh dolor quam multi sunt, qui liuore & rancore, tanquam pane pascuntur, vera & pessima dæmonis instrumenta ac mancipia. Sed ad textum redeamus. Ista igitur de causa sancti Patres h̄ic per loca arida corda gentilium vacua fide ac pietate, & INAQVOSA, ab illa videlicet irrigatione libera quam Iudei, à lege & prophetis hauriebant, postea tamen per baptismum abluta, ac per Christum viatore gratiæ dotata, recte intelligunt. Proponit enim h̄ic Christus, non quæ acta fuere, sed quæ agenda erunt cum gente illa ingrata Iudaica: quæ omnia nunc fieri videamus. Itaque Sathan non inuenturus, apud Ethnicos, qui Euangeliū erant complexuri requiem illam quam olim apud eos habebat,

bat. dolensque prædam sibi è fauibus esse
creptam. Quid facit?

DICIT, secum ipse consilium capi-
ens.

REVERTAR IN DOMVM MEAM, *Inde olim*
quam olim per varia Idololatriæ genera, tam *Sathan ab*
in deserto, quam in Iudæa occupaueram. *jeſſi.*
Poſteat li-
bers.

V N D E EXIVI. Eiectus per fidem v-
nius Dei, & venturi Messiae, quam vel om-
nes, vel penè omnes habuiffe Iudæos arbit-
rорum temporis, quando Christus ad illos
venit. Quem quia nō receperunt, ideo pro-
phetat Christus vtterius, dicensque.

E T C V M V E N E R I T. In futuro vt vi-
detis loquitur, & notat verbis istis, quid
postea tum propter reiectum Messiam, tum
ob has, quas audiuiimus in Euangeliō, &
multas huiusmodi blasphemias cum illis
fieri debuit. Sathan enim rediens postmo-
dum ad eos.

I N V E N I T, domum illam, gentem vide-
licet Iudaicam.

S C O P I S M V N D A T A M. Non quis
videlicet baptismi interius, sed tantum exte-
rius, & superficie tenus, cæremonijs quibus-
dam mundatam,

E T O R N A T A M. Cum vnius Dei co-
gnitione, de qua supra ethnicos plurimum
ſe efferebant, tum vero falsa legis interpre-
tatione, inuidia, fastu, tumore, & odio, pro-
pter

Potesſe rela-
buntur.

pter quæ verum Messiam non solum non
recepérunt, sed & à se reiecerunt, & insuper
crucifixerunt. Ita inquam videns & exul-
tans Diabolus, quid agit?

T V N C V A D I T , Deo propter Iu-
dæorum ingratitudinem id ei permittente.

*deo fortius
possidentur.* E T A S S U M A T S E P T E M A L I-
O S , id est plurimos, iuxta phrasim Hebræ-
am, quæ septenario numero plurimos com-
prehendit.

S P I R I T U S N E Q V I O R E S S E . Ecce
hic quoque Epiphethon ipsorum consue-
tum audis, ut scias qui nam fuerint. Multi-
plicantur autem dæmones duplici de causa,
quas mirificè hic exprimit Christus , pri-
mam cum inquit.

*1. Ratione
durationis.* E T I N G R E S S I H A B I T A N T I B I ,
securi & potentes. Potentes quidem, quia
& fortes, ac ingeniosi sunt natura sua dæ-
mones, & plurimi Iudæos custodiunt, se-
curi vero quia sciunt se ex gente illa (gen-
te inquam, nam peculiares personæ, & in
principio multæ sunt conuersæ, & nunc a-
liquæ conuertuntur) ante tempora Anti-
christi, non esse ejiciendos, ut antea ejicie-
bantur. Secundam autem rationem addit
Christus dicens;

*2. Ratione
obstinatio-
nis.* E T F I V N T N O V I S S I M A H O M I N I S
I L L I V S P E I O R A P R I O R I B V S . Per ho-
minem totam gentem Iudaicā intelligens.

Quam

Quam nonne nunc multo quam antea ob-
stinationem in infidelitate sua videmus? Ita
sane. Olim enim ab Idololatria sua identi-
dem resipiscentes cessabant, & ex infideli-
bus fideles efficiebantur, nunc autem per
mille, & sexcentos penè annos manent ob-
duratissimi. Quare? Quia os Domini Iesu
locutum est. NOVISSIMA eorum futu-
ra PEIORA PRIORIBVS. At inquis,
nunc non sunt Iudæi Idololatræ, vt olim
fuerunt. Imo vero sunt, qui enim non no-
vit filium neque patrem nouit teste Christo.

Ioan. 1407-
Iudei nunc
Idololatræ.

NOTA.

Atque ita non Deum verum, qui unus in
essentia, trinus vero est in personis, sed Ido-
lum capitis sui adorant nunc Iudæi, talis e-
nim Deus quem ipsi adorant, nempe qui
non sit trinus in personis nusquam repe-
ritur. Præterea quandoquidem negant Iu-
dæi Messiam, negant profecto etiam De-
um, cum Messias Deus sit, qui vero negat
Deum, aut Idololatra, aut Atheus sit ne-
cessè est.

Hæc videtur esse horum verborum ge-
nuina sententia, & principalis Christi scopus.
Nam secundario ad quemuis in peccata re-
incidentem, & in eis obstinatè hærentem ac-
commodari nō est quod quis dubitet. Qua-
de re, quia & in 1. concione multis egimus,
(quæ præsenti quoq; instituto seruire pos-
sunt) & ista satis iā excreuit in longū, proin-
de

Pro cœla-
sione duo
notantur.

de (vltimam etiam Euangelij partem , quæ laudes Iesu & Mariæ continet concioni postremæ relinquendo) duo tantum hic adnotabimus, ijsque concludemus. Alterum est quæ ratio modusque sit quo Christus & Sathan animas capiunt. Quamuis enim neuter vim inferat, cum & Christus inuitum saluet neminem, & Sathan non nisi suis consentientem suggestionibus in suam potestatem redigat; tamen multæ, & magna inter eos differentiæ, intercedunt; verum sufficiat, quam nobis hæc sacra dat historia, in qua videmus Christum quidem Dominum, vi & potestate propria Sathanam debellare, atrium & arcem ipsius occupare, arma, spoliaque eius diuidere : at vero dæmonem omnia astu perficere, ac primum quidē diligenter perspicere, an à studio virtutum refricerit, is à quo ciectus fuerat, deinde quæ dispositiones ad peccandum habeat lustrare, & tum demum sua applicat tormenta, sociosque (non tamen sine diuina permissione) adhibet, tum ad fortius aggredendum, tum ad crudelius quem ceperit duexandum. Nouerimus igitur quæso fraude Dæmonis pessimi, demusque operam, ut neque illi tentandi nos occasionses præbeamus, neque ita eum timeamus, ut animo deiecto pusilloque simus, sed spem firmam habeamus in Christo Iesu, è cuius nos manibus

1. Quomodo
& Christus
et Sathan
animas ca-
piant.

bus etiam omnes quæ in inferno sunt dæmones in vnum conglobati, non eripent vnquam, nisi nobis volentibus.

Alterum quod tum ex illa Tobiae, tum ex <sup>I. Quoniam
dono nos con-
seruabimus
in potesta-
te Christi.</sup> hac Euangelij hodierni historia notamus est, vt si in potestate Christi Domini esse, & manere volumus perpetuo, illa quidem quæ Tobias docet habere, istis vero quæ Iudæis causa interitus fuerunt, contraria facere studeamus. Procuremus inquam sobrietatem, sanctitatem (hinc illa Tobiae iunioris ad vxorem verba, filij quippe sanctorū su- ^{Tob. 2,18.}
_{mus}) castitatem, ad vitæ genus quod quis instituit accommodatam, in primis autem orationem & charitatem, quibus & iecur nostrum morbidum comburitur, & dæmoniū pessimum abigitur, profligatur, ligatur, Opponamus autē otiositati (quæ lerna est malorum omnium) laborem pium & continuum, sicut emendationi, veram contritionem ac pœnitentiam, ornamentiis nequam, sanctas solidasque virtutes, nempe superbie humilitatem, hypocrisi synceritatem, securitati male conscientiæ eiusdem bonam & continuam increpationem objiciamus. Ita enim spes vera, viua, sancta, fulgebit in nobis. Etenim teste Chrysostomo [conscientia] <sup>Ex increpa-
tione con-
scientia</sup> nos tandem in peccatum profundum de- <sup>Chrysost.
Con. 4. de
divinitate S.</sup> mergi] Eleuat enim nauem nostram, id est ^{LAZARO.}

d

nos

nos ipsos : tum ad cognitionem nostri, ne
in bonis nostris operibus (quæ ad speciem
talia sèpe apparent, sed re vera non sunt ta-
lia) nimium confidamus ; tum ad cognitio-
nem Dei, ut spem omnem in eum projicia-
mus, illumque feruenter amemus, & in his
perseuerantes, usque in finem, eo peruenia-
mus, vbi sine fine viuamus, videntes facie ad
faciem Deum trinum & unum, cui laus,
gloria, & gratiarum actio sit in saecula saecu-
lorum. Amen.



ZAVS
CHRISTI
ET MA-
RIÆ. AC
STATVS
RELIG.
SX CVENTU
& figura.
Gen. 8.8.

CONCIO IV. CHARITAS.

Factum est autem cum hæc diceret,
extollens vocem quædam mulier de tur-
ba dixit illi, Beatus venter qui te por-
tanit, & ubera quæ sūxisti. At ille dixit.
Quinimo beati qui audiūt verbum Dei,
& custodiunt illud, LUC. II.

Quoniam mihi quadantenus contigit di-
lectissimi. Emiserat ipse ex Arca colum-
bam,